Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2937

Quelle:
Copyright:

DCCCXI.

277 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 190. f. sat eleganter exaratus et rubricis distinctus est *Ordo* divinorum officiorum et sacrarum Ceremoniarum *Ecclesiae*, ut infra patebit, *Passaviensis*, cujus contenta, cum id Index praevius non praestet, adcuratius edisseram. A *fol.* itaque 3. habetur *Ordo in Vigilia Natalis Domini*, ubi simul modus eam celebrandi ex *Ordine Romano* adfertur, *in Vigilia sancti Stephani*, *in Vigilia sancti Iohannis apostoli*, *in natale Sanctorum Innocentum*, *in octauis domini*, *in vigilia theophanię*, *de theophania* et *octaua theophanie*, *in Purificatione Sanctę Marię*, *in cathedra Sancti Petri*, *in annunciatione sancte Marię*. *Fol.* 9. Tituli sive Summaria XX. Librorum *Collectionis Canonum Burchardianae*, quorum absque Autoris mentione hoc est initium: *Incipit Primus Liber De Potestate et primatu apostolicę sedis* &c. *Fol.* 10. *Ordo in Capite Iejunii*, qui ritum confessionis et Cineris benedictionem explicat. *Fol.* 17. *Denunciatio mensis* I. cum agendis usque ad Dom. Palmarum *Fol.* 19. *Ordo in die palmarum*, *de Feria IIII. maioris ebdomade*, *de officiis diuinis in cena domini Feria quinta*, quibus quaedam e Liturgia *Ambrosiana* admiscentur, *de nocte* et *in die Parasceve*, et *de sabbato sancto*, cum Catechesi Baptizandorum sive Expositione Symboli apostolici, verborum graecorum baptisterii, et Confessionis dictae *Athanasianae*. *Fol.* 68. Ordo *Die resurrectionis dominice*, et diebus sequentibus. *Fol.* 71. *Ordo in letania maiore*, *In inuentione sancte crucis*, *in uigilia ascensionis*, *in sabbato sancto pentecostes*, et diebus sequentibus. *Fol.* 76. Orationes *ad capillaturam incidendam*, *ad puerum tonsurandum*, *ad clericum faciendum*. *Fol.* 77. *De gradibus romane ecclesie*, sive *Ordo qualiter in romana ecclesia sacri ordines fiunt*. *Fol.* 89. *Ordo ad benedicendam ecclesiam*, consecranda *vasa* et *vestimenta sacerdotalia*, *Baptisterium*, *Coemeterium*. *Fol.* 113. *Reconciliatio violate ecclesie*, Consecratio *Sanctimonialium*, *Abbatissarum*, *Viduarum*. *Fol.* 127. *Ordinatio abbatis*, *Benedictio Sponsorum*. *Fol.* 129. *Ordo excommunicationis*, Benedictio *nouorum retium*, *uexilli*, *ensis*. *Fol.* 135. *Ordo qualiter episcopus in romana ecclesia ordinetur*. Collatio *Pallii* Archiepiscopalis, *Benedictiones super capsellas et fustes*, *super confirmatos*, *Salis* et *Aquae*. *Fol.* 149. Orationes et Exorcismi *super demoniacum*. *Fol.* 155. Iterum *Ordo ad Clericum faciendum* et post hunc prolixa Expositio Rituum in consecrandis Ecclesiis usitatorum constans IX. *Capitibus*, quorum primum inscribitur: *Quid significent duodecim candele*, et incipit: *Morem quem sancta ecclesia tenet in sollempni domus dominice consecratione* &c. Ultima sunt: *Et sicut propheta dicit. Leticia erit eis. Explicit deo gratias canon de edificanda ecclesia.* Extat apud *Edm. Martenium* T. II.